







PROGRAMMA

QVO

ORDINIS JURIS-CONSULTORVM

IN

ACADEMIA GRYPHICA

SENIOR ET P. T. DECANVS

**CHRISTIAN. NETTELBLADT,**

J. V. D. ET PROFESS. ORDIN. CONSISTORII REGII DIRECTOR

ET

ILLVSTR. SOCIETAT. REG. LITERAR. VPSAL. SODAL.

AD

DISPVATIONEM INAUGVRALEM

DE

**VIDVA NOBILI MECK-  
LENBURGICA**

IMPRIMIS VERO

PORTIONE EJVS STATVTARIA

QVAM

PRO SVMMIS IN VTROVQVE IVRE HONORIBVS  
DIGNITATIBVS AC PRIVILEGIIS

MORE MAJORVM IMPETRANDIS

DIE XXIII. MAY A. O. R. MDCCXXXVIII.

ERVditorVM DISQVISITIONI SVBMITTET

**HENRICVS NETTELBLADT,**

ROSTOCHIO-MEGAPOLITANVS

DECENTER INVITAT


INSIMVLQVE

*Occasione Can 43. Cauf. 27. qv. 1.*

**DE VELO VIDVARVM VIRGINVMQVE**

DISSERIT.

GRYPHISWALDIÆ.



Ex OFFICINA CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.



**T**egere caput, illam corporis humani præcipuam partem, quam anima, actionum domina & regina, tanquam regiam aliquam insidet, aut quomocunque ornare, quando primum inter homines vsu venire cœperit, ea, quam nunc molior, scriptione, è vetustis rerum documentis eruere velle, prolixior instituto meo opera foret. Hoc tamen, pro certo, affirmare non dubito, extitisse olim integras gentes, in quibus Viri, nisi quid præter ordinem contigerit, nudato capite rem agere, consuevere. Romani exemplum præbent, quorum nunquam capita tecta fuere, nisi sanitatis cura, aut alia forte incidens ratio, fimbriis togæ involuere, aut alio velamine induere iuberet. Quo referenda velim, quæ alicubi leguntur de Romanis, per plateas ubi obviam sibi facti sint, invicem capita aperientibus. Nam PLVTARCHUS, non alio hæc pertinere, totidem verbis asserit: *Romani*, scribens, *si cui obviam facti sunt, cui honor habendus sit, & si FORTE toga caput velatum habeant, id aperiant.* Scilicet, quod forte toga velatos commemorat, id abunde ostendit, non continuo more velatos fuisse. Ægyptios capita etiam aperta gessisse, HERODOTUS L. III. auctor est. De Judæis eadem statuere licet, propterea quod *Levit. XIII. 21.* lepra infecti velatis capitibus esse iubentur, quibus iussibus ratio ferre omnis deesset, nisi dicere velimus, contegendi capita apud ipsos insolitum morem fuisse. Non tamen negare licet, in aliis gentibus tegmina capitum, antiquissima consuetudine, innotuisse. Probabilis ratio est, principes proceresque instituto initia conciliasse, secutosque paulatim ex grege homines; non pro lubitu tamen, sed prouti temporis atque loci venia esse poterat. Receptorum v. semel velaminum habitui diuersa materia adhiberi cœperit. Septentrionalibus pelles in eum usum perplacuisse, traditum est; sed Regibus arctoi orbis cognomen pellitorum principum inde hæsisse, non tam probare, quam dicere voluerunt nonnulli. SPENNERUS L. II. C. 4. §. 2. p. m. 147. J. P. ad Imperatores R. Germanicos principesque Electores hoc trahit. Ut si vituperium est, pellitum vocari, in Germanos illud pariter cadere, existimare habetas. Quicquid autem horum est, constat certe, nonnullos populos pellibus aut pretiosis aut vulgaribus capita munivisse. Jam dixi enim, variam tegumentorum materiam fuisse. Quin positum est,



est, tegendorum capitum morem illum, vel prosperis vel adversis aliisque euentibus adhibicum fuisse. Ebræis solitum erat, capitibus testis sacra facere. Et hodiernum Judæi capita velati religiosi officii operantur in Synagogis suis. Eadem apud Romanos rei sacræ perficiendæ ratio obtinuit. Quid? quod idola Veterum Gentilium, non raro, velatis capitibus efficta inueniantur; quodue capitibus sanctiori lauacro initiandorum velamina indita, ligamentis, interdum, rubris substricta, quæ, vna cum indumentis albicantibus oxidui usu, seruare ex pristino ecclesiæ more tenebantur, Historia Sacra ignorare non sinit. Si quid lugubre acciderat, integra capita pepelis abdere, aliis populis visum erat. Supplicesque eodem habitu amictos Livius & alii sistunt. Parultima passuris facies oris comparabatur. Susannæ exemplum sacer codex habet. Et Tacito perhibente L. XIII. Ann. apud Gentiles, qui lupanaria intrabant, capita cucullo vel adducto pallio velare solebant. Ipse Nero talia admisisse ibidem arguitur. Fuit tamen, & lætis rebus, velaminum capitis vsus, ætionum certarum insigne. Huc pertinere pileum puto, qui libertis, seruitutis solutæ signum, imponebatur, cuius figuram delineat ANT. MATTH. in *Comment. ad Institut. pag. 219.* Etiamnum in Solemnibus Academicis, quorum ad conferendos bene meritis doctorales honores comparata ratio est, pilei galerique ornamenta Candidatorum capitibus imponuntur. Qua destinatione, si scire cupis,? respondet SOLERIUS de *Pileo p. 206. & 207.* *Doctorum, inquit, Theologia pileum ideo esse nigrum, ut doceantur se esse mundo mortuos, Jurorum esse rubrum, propterea quod regibus & principibus terra, quorum ornamentum siue insigne sit purpura, adsint. Medicis vero & philosophis galerum violaceum aut coeruleum tribui, ut moneantur, oculos suos non declinare in terram. Mittam vero hunc capitis virilis ornatum cum purpura iam ea de re commentationes extant. De muliebri sexu speciatim constat, non remotissimis tantum sæculis, verum & recentiori atque nostra ætate, in gentibus non paucis, moribus receptum esse, ut nonnisi velatus in publicum prodeat. Nec displicet institutum multis, qui pro remedio libidinis, & prauitatis inde enatæ, habent. Minimum haud probaverunt Patres ecclesiæ, virginum, sine velamine, in celebritate versandi consuetudinem; & TERTULLIANUS *Tr. de veclandis virginibus* indignationis non leui æstu damnat, capita virginum resecta, *nudantibus* nominans, quod nuda fronte se quasi*



venum exponant, ut procos alliciant: Quæque plura in *Lib. de pal-  
lio cap. 4.* his moribus obiicit, ibidem, cupientes legere poterunt.  
Mihî vero, dum hæc scribo, in memoriam reuocantur, quæ GUND-  
LINGIUS *Pref. Part. III. Otiorum* respondit scribendi rationem suam  
salacitatis incusantibus; nam forte eadem huc referenda, non te-  
mere censuero. Germanorum veterum feminis nudata capita  
fuisse accepimus. TACITI fides est, fluentes capillos gessisse. Tu-  
tulos impositos solum, nec omnibus, nec semper pro tegmine,  
habuerunt: cuius generis mulebria ornamenta quædam RHODIUS  
in tumulis cimbriæ reperit. Interdum & vitta crinali indutas SA-  
xo testatur *L. VI. p. 108.* scribens.

*Splendida nexuerant torum redimicula crinem*

*Et varicata vagum stringebat vitta capillum.*

Si coniecturæ locus est, initia christianismi demum, in Germania,  
sexum debiliorem, rebus afflictis, ad involucria capitis adegerunt.  
A quibus temporibus ita mos ille invaluit, ut hodiernum Lipsiæ ali-  
isque in locis, quorum hic recensio supervacua esset, funeralibus  
pompis, uxores virginesque pepsis linteis, quantæ quantæ sunt,  
involvantur, nec oculorum prospectus relinquatur, vt ipsæmet  
gressus ferre queant, sed comitantium ductu opus habeant. Non  
tamen ad lugubres tantum casus, moribus christianis, feminæ ve-  
lare capita instituerunt; Prospera idem vestitus honestavit. In  
nuptiarum solemnibus præsertim, noua nupta velo vel velamine  
quod pudoris signum erat, obtegebatur & contexta Viro in ma-  
trimonium tradi solebat; à quo nubendi ritu *nupta, nubere, nuptiæ*  
ipse dicuntur. Testis est BELLARMINUS, hunc ritum inter Roma-  
no Catholicos exerceri, deque Liouonis refert OLEARIUS, Sponsam,  
dum inter conuiuas accumbit, linteolo obductam faciem habere.  
Produnt similia, quilibet scriptores de suis nationibus. Et, si stan-  
dum est auctoritate GONZALEZI TELLEZI ad *Cap. 4. X. de Regularibus*, ali-  
orumque, hinc sumit originem, mos ille obuelandi sanctimonia-  
les initiandas (quem vulgariter *Einkleiden* dicunt). Nempe con-  
tendunt, apud quos tanti habetur hoc vitæ genus, virgines, dum  
illud ingrediuntur, desponderi Christo sponso suo, adeoque instar  
novarum nuptiarum, qua faciem velandas esse, primordiis ritus à  
pontificis Pii I. sanctione an. circiter 342. deductis: Quamvis RHE-  
NANUS in *notis ad TERTULL. Lib. de Velandis Virginibus*, initia eju: post  
medium Sec. IV. orta existimet, vt videre licet ap. HILDEBRANDUM  
10



in *Libello de nupt. Vet. Christian. p. 74.* In Jure Canonico ad varios casus de velandis feminis statuitur. Etenim ejus placitis innouit primo *Velamen* s. *velum conuersionis & probationis*, quod assumunt feminæ, cum de seculari vita ad religionem transeunt. Hoc plerumque album, interdum, teste TURRECREM. nigrum quoque est. Accipitur illud è manu presbyteri &, qui per anni spatium coindutus fuit illi in sæculum remigrare non licet, ut liquet ex *Cap. Statuimus de Regularibus*. Alterum est *velum professionis*, quo feminæ castitatem solenniter profitentes ornabantur, de quibus videtis BARONIUM ad an. 57. Imponebatur illud puellis 12. annorum, nunc, præscripto *Concil. Trident. C. 15. Sess. 25. de Regul.*, non nisi decimum septimum annum agentibus. Accipere possunt hoc velum viduæ ex altari à sacerdote quodam aut Episcopo. Est & ipsis sibi imponendi potestas, prout FAGNANI ad *Cap. Vidua X. de Regularibus p. 21.* pluribus euincere conatur. Tertium nuncupant *velum consecrationis* quod solis virginibus datur ab Episcopo & talibus quidem, quæ 25. ætatis annum ingressæ sunt. Nec ante hunc annum regulariter velantur, nisi forte necessitate periclitantis pudicitie Virginalis teste PARAVICINO in *Polyanib. Sacror. Canon. T. 3. p. 553.* Neque alio die, quam in Epiphania & in Sabbatho Paschæ & in Apostolorum natalitiis, nisi causa mortis urgente teste PARAVICINO *c. l. pag. 553.* Differt à velo professionis, quod hoc & viduabus & virginibus commune est, consecrationis tantum virginibus debetur. SUAREZ de *Relig. Tom. 4. lib. 1. de Verit. Relig. c. 11. n. 15.* imo ne istis quidem omnibus; quia Moniales Mendicantium & aliæ quædam non consecrantur ab Episcopo SCHMALTZGRUEB. ad *Tit. de Statu Monach. ad Lib. 3. T. 2. pag. 109.* Quartum est *velum pralationis*, quod Abbatissis Sexagesimo ætatis anno dabatur, per *Cap. 20. qu. 1.* Sed per jura Libri 6ti decretalium, ubi annum vigesimum compleuissent, licet hodie, minori annis quadraginta, ut decretum in *Concilio Tridentino C. 7. Sess. 25. de Regular.* non detur, nisi magna inopia personarum sit. Quintum dicitur *velum ordinationis*, quod olim imponebatur diaconissis, quadagesimo ætatis anno, ut possent Evangelium legere in nocturnis vid. FAGNANI ad *Cap. Vidua X. de Regular.* Ultimam est *velum continentie*, quod proprium habent viduæ & de quo accipiendus textus in *Cap. ult. 20. qu. 1. Cap. de Viduis, 24. 27. qu. 1.* conf. GONZALEZ TELLEZ ad *decretal. Cap. 4. de Regular. Tom. 3. v. 641.* Equidem diuersis canonibus ecclesiæ statutum est: Vidu-



as velandas non esse, textusque ea super re vna cum auctoribus collectos inuenire licet ap. GONZALEZ TELLEZ c. l. Sed non est hoc sumendum de omnibus velis, quemadmodum ad numerum III. iam antea obseruatum. Quin, viduam sibi met imponere velamen posse, constat ex Cap. 4. X. de regularibus, totidem verbis. At duo genera viduarum olim erant, quæ capere velum poterant. Aliæ Seculares, quæ laicali veste incedebant; aliæ continententes & sub religioso habitu degentes; dictæ Sanctimoniales. Deo dicatæ obligatæque ad viduitatis perseverantiam. Atque hoc vitæ genus ap. Viduas iam veteri lege vsitatum fuisse, CEDRE-  
NUS & GREGORIUS NYSSENUS testantur. Attamen certis criteriis electionem earum determinatam esse, nouimus, vt erant 1.) ætas provec̃ta, iuvenes enim non cooptabantur propter in continentia suspitionem 2.) ne statim a viri morte eligerentur, sed elapso quodam tempore, quod & LL. Longobard. cautum est & 3.) præmissa vitæ & morum examine opus erat. Cæterum velaminum talium, cum viduarum, tum virginum non infrequentia vestigia supersunt in monumentis sepulchrorum, præsertim quæ in Monasteriis habentur.

At mihi, qui hætenus de varii generis involucris velaminibusque disserui, cauendum est, ne Ipsemet prolixitatis nimia peplo aut involuar, aut implicer. Nam præfari tantum hac de re constitutum erat. Nunc vero, quod præcipuum est instituti mei, agam. Etenim adiit haud ita pridem Magnificum Ordinem Jctorum, qui in hac Alma Illustri floret, me quidem interprete, Nobilissimus atque Doctissimus **DN. HENRICUS NETTELBLADT**, Rostochiensis J. U. Candidatus, qui Studiis Academicis debita industria peractis, antequam ad aliud vitæ genus progrediatur, Doctoris U. J. honores ambire, rationibus suis conueniens duxit, eosdemque sibi conferendos obseruantia & modestia debitis rogauit. Non videbantur frustrandæ preces animi honesti & ad ea, quæ cum laude coniuncta sunt, aspirantis; sed auxiliis propriis explendæ. Etenim qui diligens ante hæc Ciuis noster fuerat, probitateque insuper sua & morum venustate omnium gratiam atque fauorem meritus erat, non leuiora is beneuolentiæ documenta expectare habebat. Neque tantum, inter Gryphicas Musas laudabiliter ver-  
fatus



fatus est; Sed, si bene reputo, totus vitæ ipsius ambitus, quoad hæcenus pertigit, ad optima quævis & præmiis digna compositus esse videtur. En Ipsemet illum totidem verbis à Cl. Dn. **CAN-DIDATO** conceptum.

Rostochii anno MDCCXV. d. 8. Martii in hanc lucem sum editus & Parentum meorum cura educatus, coelestique auspicio servatus præsentem iam vi-  
deo diem Patrem nascendi fors mihi dedit **HENRICUM NETTELBLADT**, Reipubl. Rostochiensis Senatorem ac Camerarium; Matrem **CHRISTINAM**, filiam beati **DÖRCKSEN** Serenissimi Ducis Gustavi Adolphi quondam, in negotiis re-  
dituum publicorum cameraribus, Consiliiarii. Hi amantissimi parentes a prima infantia usque ad annum ætatis XV. domesticæ præceptorum curæ me comin-  
ferunt. Haustus itaque privatos inter parietes iis artibus, quæ ad humanitatem pertinent Anno MDCCXXX. die 25. Aprilis Rectore Magnifico Virò Summe Reuerendo **FRANC. ALB. EPINO S. Theol. D. A. P. P.** iam Consiliiario Consi-  
storii venerabili, Cognato deueniendo, in Album Academiæ sum inscriptus. Ut vero res feliciter gererentur, & Jurisprudentiæ aptior strueretur via, in stu-  
dium philosophicum omni, quo potui modo incubui. Huius amore ductus, pri-  
uatissima institutione **M. KINDLERI**, Lycei, quod Rigæ floret, haud ita pridem evocati Rectoris, per duorum annorum cursum, non sine fructu vsus sum. Præterea in studiis philosophicis Duces habui Doctores solertissimos: & quidem in **Logicis** Dn. **EPINUM S. Theol. D. & P. P.** in reliqua Philosophia Dn. **BURGMANNUM S. Theol. D. & P. P.** in notitia rerum in patria gestarum Dn. **WOLFIIUM** Graecæ linguae **P. P.** in rerum naturalium scientia Dn. **M. BECKERUM** Quibus iactis fundamentis, & mihi demum ad tractanda sacra Themidis aditum patere existimaui. In addiscendis itaque iurium principis primum Dn. **CIESIO D. & Praeceptore** vsus sum, cuius lectionibus iunxi recitationes Dn. **HERINGII D. & P. P.** Praeprimis vero ab ore disertissimo **J. C. Confummatissim Dn. MANTZELII D. & P. P.** pependi, quo duce, omnes iuris partes theo-  
reticas & practicas sum emensus; Sub eius quoque praesidio anno MDCCXXXIV. Dissert. *de præstantia Juris Lub. prae Jure Civili circa fidem civium augendam* publice ex Cathedra defendi. Relicta Academia patria anno MDCCXXXIV. hanc bonarum artium mercaturam adii, ac tenente tunc temporis Academiæ Sceptra Excellentissimo Dn. **PRAESIDE, J. C. Confummatissimo**, jam **Consist. Reg. Di-rect.** grauisimo, Agnato & Patrono multis nominibus colendisimo, numero ci-  
vium academicorum sum insertus. Quo factò scholas eius publicas, in quibus Institutiones Justiniani explicabat, & Juris Naturæ atque Publici mysteria pandebat, sedulo frequentavi. Privatam vero fidelissimam eius institutionem dum animam spirabo meam, grata prosequar mente. Cum autem eodem hoc anno Excellentissimus Dn. **PRAESES** iter in Sueciam pararet me eius itineris socium benignissime elegit. Celeb. Sveciæ Emporia vt & Academ. Upsaliensem tunc perlustravi, salutavi. Denique anno MDCCXXXV. Lipsiam, ad illud bonarum arti-  
um & literarum emporium, me contuli, vbi omnibus nervis, vt ad iustam maturitatem qualiumcunque meorum in litterarum studiis profectum pervenirem allaboraavi, præcunctibus Viris Excellentissimis ac Consultissimis **RECHENBERG**

GIO



GIO in *Jure Ecclesiastico*. MASCOVIO in *Jure Feudali, Publico ac Historia Imperii Germanici*. HOMMELIO & THOMASIO in *J. Civil.*, CHRISTIO in *Antiquitatibus Romanis*. FEISTELIO in *Rerum gestarum monumentis* ac denique RICHTERO in *Matheſi* Laſtravi quoque in itinere meo civitates præcipuas *Lüneburg, Brunſwig Guelſerb. Halberſtad. Magdeb.* & ſic porro Hamburgi aliquantiſper hæſi. *Jenæ, Hallæ & Helmſtad* in Virorum Celeberrimorum, qui illa muſarum ſedes exornant, notitiam perveni. Tandem feliciter abſolutis Studiis Academicis, anno MDCCXXXVI domum reuerſus ſum. Fruſtus itaque, quos præbet ſtudium iuridicum, percepurus, mentem ac intentionem animi Celeberrimo Jctorum Ordini, qui Gryphiſwaldiam ornat, ea qua par eſt obſervantia expoſui, eumque, ut mihi dignitatem, partam labore, conferret, obnixè rogavi.

Igitur nihil deſugere voluit Magnificus Ordo noſter earum rerum, quibus iuvarentur conatus CANDIDATI mei. Nec ipſemet ſibi deſuit, qui utriuſque examinis pericula non tantum feliciffime ſuſtinuit, ſuperavitque egregie; Sed & Lectiones, quas dicunt, cūrſorias, ad *L. III. Cod. ſine cenſu &c.* non ſine audientium applauſu habuit. Jam vero id agit, ut ultimum Specimen eruditionis, Diſſertatione Inaugurali *de Vidua nobili Mecklenburgica & præcipue ejus part. ſtatutaria die proxima Veneris, menſis huius Maii XXIII. ventilanda, in publico conſeſſu, deponat.* Igitur ut aſtut huic maiorem gratiam atque ſplendorem lucremur, MAGNIFICUS DN. ACADEMIÆ RËCTOR, GENEROSISS. REGII DICASTERII DIRECTOR, UTRIUSQUE COLLEGII ILLUSTRIS PROCERES, CIVITATIS PATRÈS, VERBIQUE DIVINI PRÆCONES ATQUE MINISTRI, enixiffime humaniffimeque rogantur, ſua præſentia honorifica eundem ornare auguſtiorẽque reddere. Nos ea, qua fas eſt dignatione & obſervantia tantam benevolentiam proſequemur, & quantum per vires noſtras poterimus, mutuis officiis demerebimur.

P. P.  
GRYPHISWALDIÆ,  
SVB SIGILLO FACULTATIS JURIDICÆ,  
A. O. R. MDCCXXXVIII.





Greifswald, Diss., 1738-40

ULB Halle

005 360 79X


3




5b











B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

10

1738, 9

10

PROGRAMMA

QVO

ORDINIS JURIS-CONSULTORVM

IN

ACADEMIA GRYPHICA

SENIOR ET P. T. DECANVS

CHRISTIAN. NETTELBLADT,

J. V. D. ET PROFESS. ORDIN. CONSISTORII REGII DIRECTOR

ET

ILLVSTR. SOCIETAT. REG. LITERAR. VPSAL. SODAL.

AD

DISPUTATIONEM INAUGVRALEM

DE

VIDVA NOBILI MECK-  
LENBURGICA

IMPRIMIS VERO

PORTIONE EJVS STATVTARIA

QVAM

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
DIGNITATIBVS AC PRIVILEGIIS

MORE MAJORVM IMPETRANDIS

DIE XXIII. MAY A. O. R. MDCCXXXVIII.

ERVditorVM DISQVISITIONI SVMMITTE

HENRICVS NETTELBLADT,

ROSTOCHIO-MEGAPOLITANVS

DECENTER INVITAT

INSIMVLQVE

Occasione Can 43. Caus. 27. qd. 1.

DE VELO VIDVARVM VIRGINVMQVE

DISSERIT.

GRYPHISWALDIAE.

EX OFFICINA CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.

